1 19

DISCEPTATIO
INAUGURALIS
DE
PARTU ACCELERANDO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS GIBBON,

ANGLUS,

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

ET SOCIET. MED. ET PHYS. GUID. SOC.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

DIGNISSIMO VIRO

JACOBO AFFLECK, EQUITI-BARONETTO,

DE *DALHAM-HALL*,

AGRO SUFFOLCIANO;

COPIARUM BRITANNICARUM DUCI VICARIO:

&c. &c. &c.

QUI,

DE PATRIA PROCUL DISTANTISSIMIS INDIÆ REGIONIBUS

OPTIME MERITUS,

HAUD SINE DECORO MILITANTIS VULNERE,

NUNC

SOLO PATRIO, FUNDO PATERNO,

VITÆ RURALIS TRANQUILLITATE FRUITUR,

OMNIUM FELICITATI PROXIMORUM

ASSIDUE BENEVOLEQUE VIGILANS:

HANC DISSERTATIONEM,

PROPTER AMICITIAM

TAM IPSI, QUAM MATRI SUÆ DILECTISSIMÆ,

COMMODATAM

INSCRIBIT

AUCTOR.

DISCEPTATIO INAUGURALIS

DE

PARTU ACCELERANDO.

Diu apud medicos agitatum fuit, quousque in naturæ operationibus ad fœminas parturientes expediendas tuto intercedi possit. Curatio quam hac *Thesi* tracturus sum, eadem controversia involvitur, atque sæpissime et matris et pueri salutem implicat.

Nihilominus, in pelve distorta vel angustiore laborantibus, partum præmaturum arte multo rarius excitari videmus, quam insignia inde speranda beneficia manifesto suadeant.

Fateor equidem nonnullis magis placere, omnia almis naturæ conatibus permittenda esse; quoniam hæc fere per universa animalium sæcla parturientium fœminarum saluti amplissime consuluerit. *Mammalibus* vero partus plerumque dolens est, atque humano generi non nisi insigni cruciatu absolvendus; adeo quidem magno sæpe periculo in vita cultiore utentibus stipatus, ut nemo prudens, quomodocunque naturæ expectandæ fautores ratiocinentur, in hac luxuriosa vitæ conditione hodierna, non omnia, quæ ad miserias periculaque gravidarum sublevanda fieri possunt, conamina artis enixe suaderet.

Hujus enim ævi mulieres, iis occupationibus, iisque vitæ generibus, quæ tutum sola puerperium promittant, non amplius utentes, aliis et sæpe omnino contrariis sese addicere videntur. Hinc non tantum partes molles morbidæ factæ, sed ossa ipsa vitiantur, distorquentur, ita quidem ut omnes naturæ conatus ad partum sospitandum nihil valent. Impedimenta nullo modo superanda, exitui obstant; atque nisi hæc submoveantur, vel corpus infantis tenellum, eo tempore quo adhuc parvum angustias transire possit, inde

subducatur, tam de ipso quam de matre infelice, actum erit. Hactenus vero ultima ratio melior fuit, atque partu præmaturo excitando effici consuevit.

Nemo tamen illud temere institui suaderet; atque tot sunt difficultates comitantes, tanta est attentio anxietasque animi, felici ejus terminationi necessaria, ut non nisi summa consideratione adhibita tentari debet.

Multi jam anni sunt, cum in obscura Cambriæ casula, mulierculam miseram, jam tertio die primi sui partus laboribus frustra luctantem, visitavi. Sub medico hanc artis medicinalis partem minus diligenter erudito, adhuc fuerat; atque ille infelicem, brachio pueri prominente, usque detinuerat, nec unquam situm partus mutare conatus. Illud quod facile inde sperares, accidit. Doloribus longis quidem, sed frustra continuatis; humerus et pars thoracis in exitum pelvis firmiter impacti sunt. Liquor amnii omnis emissus est; vires puerperæ exhaustæ; omnis conatus meus ad brachium levandum, quo pedes attinerem, nixus violentes, superinduxit maximos, quales quidem timorem ne uterus rumperetur, mihi

injiciebant. Post opiatum exhibitum, horasque aliquot sine commodo expectatas, infantem jam mortuum esse e brachii conditione certior factus, ad solum relictum auxilium, embryotomiam, confugi. Multa huic impedimenta obstabant; atque priusquam, in positu adeo incommodo, multam partem viscerum thoracis extraxissem, vehemente contractione sui accedente, uterus rumpitur, fœtus in cavum abdominis relabitur. Pulsus confestim collapsus fit, facies vero Hippocratica, brevique animam efflavit.

Post mortem, humerum adeo in pelve impactum inveni, quod non nisi partem corpusculi in abdomen evadere permisisset. Pelvis in tantum contracta fuit, ut per eam fœtum plenæ magnitudinis transire, conditione etiam maxime favente, impossibile fuerit.

Os sacrum adeo prominebat, uti spatium, non multo magis quam duos pollices inter se atque os pubis latum, relinqueret.

Hoc exemplo, mulierem nihil præter partum præmaturum, embryotomiam, sectionemve Cæsaream, conservare potuisset.

Horum primum nunc, occasione idonea oblata, instituere mecum decrevi; utpote quod omnium optimum auxilium videretur.

Primam quæ mihi occurrit hujusmodi opportunitatem, ex Diario Medico-Physico Januarii 1817, infra descripsi.

Mense Augusto 1812, Dominam *Danes*, tunc partu laborioso, atque perquam protracto, primum puerum, qui circa triduum ante mortuus fuisset, edentem curavi. Placentam separatam ingens sanguinis profusio secuta est: vires ad extremum gradum exhaustæ; nec nisi post plures menses redintegratæ sunt.

Quadragenaria fere fuit, fibra rigidiore prædita; nec per totum diutinum hunc partum deficiebant nixus idonei ad expellendum. Hinc naturam parum interpellendam esse judicavi; enemata subinde et catheterem, prout opus esset, administrare contentus. Nondum tamen pelvis marginem adeo contractam esse didiceram; nam caput fœtus dum post mortem pelve jaceret, nimis mollitum fuit, quam ut pressum ab eodem exeunte toleratum, æstimare possum.

Rursus gravida facta, abortum maturum sed facilem passa est mense Augusto 1813. Tertio gravida facta est, et post partum, priore multo magis protractum, difficilem et laboriosum, infante mortuo tandem liberata est, mense Januario A. D. 1815. Faustissime tamen evenit, quod nulla hæmorrhagia notabilis luctam ejus diu productam subsecuta est. Hoc temporis pelvis marginem contractiorem esse, quam quæ unquam deinde infantem vivum maturum transmittere posset, certior factus, prædixi.

Quarto partum, utero gerens, ad medium Decembrem 1816 expectabat: vivum infantem edere, mire desiderabat. Ut ipsa tuta esset, partumque sospitem nancisceretur, puerperium anticipare, uterinas contractiones ante medium ultimi mensis gestationis, Novembris, excitando, proposui. Fœmina assensa est.

Alvo probe exinanita, ad os uteri dilatandum accessi, id quod pelvis angustiæ, situsque uteri, in sacrum protrusum innitentis præter spem difficile factu reddiderant. Post multos tandem cautos conatus, die Jovis vespere eo profeci ut aquas emitterem, partus lentus naturalis subsecu-

tus esset. Eadem nocte nonnihil dormiit, doloribus licet regularibus subinde interpellata.

Adhuc vivax erat puer, et crebra satis examinatione, caput sede naturali modo offerre persuasus sum.

Totam diem Veneris tardo puerperio detenta est, noctu parum dormiens. Die Saturni, seu 9no, ægra anxia facta est, nimirum eosdem quos ante parturiens passa est cruciatus metuens. Primo vespere illius diei plenam opii dosin ex potu cardiaco exhibui, quæ res somni aliquid fœminæ conciliavit.

Inde cum nixu violento experrecta est, atque primo diei Dominicæ mane infans in pelvem descenderat, ubi, contra quod sperabam, clunes præsentabat.

Etiam hoc puerperii stadio, infantem procul dubio vivum fuisse, persuasissimus sum; sed quando caput ejus in contactum ossis sacri pervenisset, licet conatus parturiendi tum vehementissimi essent, progressus ejus admodum retardatus est. Perito quidem obstetrico vix opus est ut adderem, moram eam tum inevitabilem, ex clune præcedente, infanti lethalem necessario fuisse.

Tertio tamen dein partu emortuo, multo quam opinio fuit citius liberata est, atque brevi, sine ullo signo ingrato, in valetudinem restituta est.

Inventum est, infantem per marginem pelvis superiorem positu maxime incommodo transiisse. Os enim alterius lateris parietale in partem prominentem ossis sacri, tam firmiter, violento conatu, impactum est, ut profundam ibi impressionem reliquisset; id quod moram, demumque mortem infantis, facile explicavit.

Mihi quidem nunc opinio est, quod si partus duabus vel tribus ante septimanis superinductus fuisset, infantem multo facilius conservari potuisse. Quum tamen contractio pelvis hoc exemplo adeo insignis facta fuisset, haud verisimile est, infantem septemmestrem, nisi positu naturali oblatum, vivum nasci posse. Quin huic fœminæ, satis probabile mihi videtur, deformitatem ossium indies augescere.

Hoc exemplum aliud habeatur documentum utilitatis commodique e partu præmaturo excitando, in iis fœminis miseris, quibus e pelve contracta infantes edere contigit; hæc enim puerpera se longe longeque minores cruciatus hoc quam

prioribus puerperiis passam esse asseveravit.—*Bedfordii, Dec.* 9. 1817.

Hac curatione nos capite specilli obtusiore operati sumus; sed difficultas qua in membranas, quando eas perforare vellem, illud dirigere poteram, catheterem fœmineum longe meliorem esse mihi persuasit; uti nuper a doctissimo viro hujus urbis, rei obstetricæ Professore, lubens didici.

Quinimmo, si de hac olim curatione, priusquam Edinburgum adveneram, vel minimum ambigerem; quod postea didici sub eodem Professore, cujus peritia inque disciplina sua humanitas adeo merito et universo laudantur, dubia omnia compescuisset.

Utcunque tamen magna hujus curationis commoda sint, non temere putetur cuilibet medico eam competere.

Si enim mulier moriatur, ingens famæ suæ diminutio subsequatur; nisi quidem alius peritioris medici opinio cum eo consentiret, vix medico juniore tentari debet. Omnium amicarum suarum oculi in parturientem convertuntur. Quin ipsa rei novitas aliquando Chirurgo cautionem suadere debet, etiamsi nequeo non usum ejus enixe urgere

quandocunque tanta pelvis deformitas adest, quanta fœminam, ne infantem vivum maturumque edat, prohibeat.

Nescio vero, an fœminis tunc primum utero gerentibus, eadem bene adhiberi possit; quia modestia, pudorque puellaris, plerumque investigationem prohibebit in statum ossium pelvis adeo accuratam, ut de hujus operationis necessitate judicare queamus. Quin si forma externa mulieris aliquam nos pelvis deformitatem subesse doceret; atque hanc multam adesse persuasi essemus; nihilominus non prudentis obstetrici esset pronunciare, vivum infantem inde nasci non posse. Vires enim et auxilia naturæ in fœtu foras ad lucem et auras mittendo mirifica sunt. Omnes quidem hac arte mediocriter exerciti, sæpe fateantur oportet, se delectari simul et mirari artificia subinde exhibita, ut mater cum prole conservetur. Infans parvus sit; partus ante diem ex causis naturalibus præmature superveniat; atque certe, ut omni gravidæ vivi pueri edendi occasio competat, medici proculdubio officium est.

Quando quidem hujus rei nullam probabilitatem vel etiam possibilitatem subesse satis constat,

quæ curatio, precor, adhuc aut proposita aut adhibita fuit, quæ tantam salutis spem tam matri quam partui ejus promittit?

Verum quandocunque hanc methodum instituere decretum est, modus quo fit in variis libris descriptus invenitur; nusquam tamen adeo docte expositum reperi, ac in Prælectionibus Professoris hac Alma Academia Obstetricii.

Olim quidem difficultates graviores huic curationi obstabant, si quando natura matri, prolique sospitandis inæqualis videretur. Quousque vero bonis moribus res conveniat, vel justo rectoque repugnet, clarissimis Galliæ et aliarum regionum viris quæsitum fuit.

His enim scrupulos quosdam religio injecerat, an matris quam infantis salutem periclitari liceret: scilicet ne hic *Baptismate* egenus moreretur, misere metuentes. Quin sectionem Cæsarianam, vel Sigaultianam, eadem ex causa maluissent: et quamvis SUE auctor sit, celeberrimum PETIT utilitatem innocentiamque hujus operationis quondam indicasse; imo nonnullis deformibus usurpasse: ipse tamen, BAUDELOCQUE et GARDIEU, præjudicia in eam ægre explicanda, fovisse videntur.

Horum primus infantis semper incolumitati iniquam esse dixit, ut nunquam, nisi post hæmorrhagias admodum profusas, ubi nulla alia spes esset matris servandæ, admitti deberet: etiam partum præmaturum, si semper eodem tempore excitatum, haud minus fortasse tardum, difficilem, lethalem, etiam æque inefficacem nonnullis fore, ac si fœmina ad tempus justum intacta mansisset.

Gardieu vero contendit, uterum præmature patefactum in inflammationem decidere, quæ facilem aut lethum inferat, aut scirrhum, ulcerationem, cancrum; quæ res vitam mulieris adeo cruciant, ut melius fuerit terminum gestationis naturalem opperiisse, etiamsi tum denique sectio aut Cæsariana aut Sigaultiana obeundæ fuerint.

Matribus autem Britanniæ felicius evenit, quod curatio hic magis liberalis, magisque rationalis plerumque adoptata est.

Ubicunque vita matris periclitatur;—neque dubito quin fatalis fere eventus duarum sectionum supra dictarum ad eam duxerit curationem, quam nunc ex conjuncto multorum clarorum me-

dicorum testimonio usui merito commendare ausim: ibi adhibere oportet.

Monendum, nihilominus est, multo majorem, ut videtur, metum esse positus infantis inordinati (qua re probabilitas vivi partus multum imminuitur) quam si ad plenum gestationis terminum perventum esset. Nescio quidem an hujus rei ulla satis idonea ratio, præter pelvis forte conditionem deformem, ideoque pressum in uterum quotidie crescentem, inque omnem partem æque sese expansurum, inæqualem, reddi possit. Si tamen examinatione instituta, ante membranas perforatas, alia quævis pars quam caput sese offerre inveniatur; Doctor MERRIMAN suadet operationem paucis diebus differri, quo capiti ad situm proprium redeundi occasio forte præbeatur: id quod plurimis exemplis occurrisse confirmat. Certe a situ commodo vel incommodo, fœtus vita magna ex parte pendere potest.

Infantis quidem Dominæ *Danes* mortem, clunium prægressioni soli tribuo; atque in nonnullis a BARLOW et MERRIMAN traditis exemplis, similem infelicem eventum mortem infantum attulisse invenio.

Pressus diuturnus, quem chordam sustinere in pelve contractissima oportuit, quando clunes pesve se offerunt, etiamsi mense septimo excitatus præmature fuerit partus, necessario vitam ejus extinguet.

Doctoris Jacobi Hamilton opinio est, tempus maxime opportunum esse mense septimo *Calendario*, dieque decimo septimo ab ultimis menstruis, vel tertio mense decimoque septimo die a primo pueri motu in utero. Si hæc tempora forte concurrant, tanto melius.

Partus accelerandi laudes amico olim nostro venerabili Doctori Macauley, qui Londini, ad medium sæculi præteracti, artem obstetricam faciebat, anatomiamque haud sine gloria, docebat, merito tribuuntur. Is enim primus nostrum in usum introduxit. Haud multis quidem abhinc annis mortuus est, privatus, diuque laboribus medicinæ gravioribus liberatus, ad multam senectutem perductus.

Post illum Doctor Denman, in libro suo, De Arte Obstetrica, inscripto, rem candide et perspicue protulit.

Sententia ejus de proprietate et innocentia, nec non experientia ejus magna de incolumitate hujus operationis, necessario apud omnes artem obstetriciam profitentes, multum valuit. Negat quidem dubium aliquod existere posse, an salva recti conscientia illa institui possit, si sanitatem hominis, ullo modo mutare ita liceat, ut leniorem præsentem, pro graviore futuro morbo pati cogatur.

Doctori Denman successerunt Barlow, Merriman, Clarke, plurimique alii, qui haud cunctanter hanc curationem publica sua approbatione singularem confirmaverunt. Quum vero jam pridem dixerim quam probe eadem placeat inclyto Rei Obstetricæ hujus urbis Professori, cujus experientia amplissima, atque in arte sua judicium acutissimum, vel ipsa eam quam laudet medendi rationem, usui medico satis valide commendassent, ad quædam, ante operationem diligenter consideranda, jam transibo.

Prius autem paucis breviter tradenda erit ratio, qua partum præmaturum accersiri Doctor Hamilton suadet, quo facto, atque necessitate demum multæ cautionis, atque observationis, antequam operationem talem gravidæ medicus præ-

cipere ausit, rite indicata, hanc dissertationem ad finem perducam.

Quoniam periculum, non tantum Doctoribus Denman et Hamilton, sed plurimis aliis perquam leve habeatur, timoribus Doctoris Merriman, ni fallor, nihil obstantibus, curationem periculo vacuam esse, pronunciare liceat.

Horum prior confirmat plusquam duodecim exemplis, "he had not known one untoward or hazardous accident that could be imputed to it; and in the greatest number of these cases the children have been born living."

Cl. Hamilton docet hac operatione se 37 vicibus absque periculo usum esse. Eadem vero fœmina decies, semperque maximo commodo. Ex 27 mulieribus, quibus pelvis partum maturum negabat, quibusque ante diem eum excitavit, viginti tresque tuto vivos infantes pariebant. Nullo exemplo quidquam territantis occurrit. Methodum non tantum quidem omni crimine vacuam, sed frequentissime et necessariam et medico persuadendam.

Ex 48 exemplis, quæ aliorum experientia collegit, viginti et quinque infantes edebant vivaces.

Idem vero non auctor est, hanc operationem instituti propterea quod aliqua pelvis deformitas subsit, aut infans emortuus sit natus, in primo mulieris partu. Docet enim conditiones faustiores postea contingere posse; quæ, cum instrumentorum auxilio, matrem infante maturo et incolumi liberare valebunt.

Eadem fere ratione nisus, secundum Dom. *Danes* puerperium faustius forte quam primum desiturum credebam; nec erat, nisi post secundum partum, quando deformitatem opinione majorem adesse didiceram, quod eundem anticipari suaderem.

Doctor HAMILTON easdem cautelas quas apud alios medicos invenimus, præcipit, atque sine consilio aliorum medicorum nunquam imperari debere professus, an quisquam rure medicinam faciens, prudenter suscipere possit, vehementer dubitat. Atque ego huic sententiæ eousque assentior, uti multis, præsertim junioribus, rure medicinam exercentibus, hanc solicitam fore atque anxiam admodum susceptionem judicem.

Porro, idem vir, post multa nec inutilia monita super hac re, catheterem fœmineum caute sub

membranis, ad duos tresve pollices per latera uteri ante promovere jubet, quam membranas ille perforet, quo iis opportunitas data sit formandi semet in saccum cervicem uteri impleturum, atque, incipientibus partus conatibus, cuneatim distensurum.

Quinimo partem tantummodo liquoris amnii emitti jubet, quantum satis sit, ad æquilibrium inter uterum et res quas continet, perturbandum. Hoc enim modo contractiones uterinas certius accessuras esse. Quo vero tempore accedant, admodum incertum est. Nonnullis ante diem 12 vel 15 post aquas eductas, partus non supervenit *.

Inter alias gravissimas cautelas et præcepta, prælectionibus hujus celeberrimi obstetrici tradita, quæque hic frustra describerem, nutricem bonam lactantem ipso temporis puncto quo puer nascitur, præsto adesse jubet. Quin ubi illud negatum fuerit, se talem gravidam non curaturum esse testatur; utpote qui mortis infantis probabilitatem, si hoc suo pabulo naturalissimo fraudaretur, metueret.

---

* Vide DENMAN's "Midwifery," vol. ii. p. 181.

Postquam ex pelvis conditione diligenter explorata, hanc operationem instituere decretum est: hæ quæ sequuntur res diligenter observandæ sunt.

1°, Ut fœmina mediocri valetudine fruatur.

2°, Ut alvus et urinalia omni distentione careant, nam, utcunque dictu mirabile videatur, JOHANNES BURNS* auctor est se de partu præmaturo inferendo consultum fuisse, ubi rectum fæcibus distensum pro pelve deformi medicis imposuit.

3°, Ut os tincæ ratione quam cautissima lenissimaque operiatur, atque catheter vel quodvis aliud instrumentum introductus, membranis perforandis, præferatur.

4°, Ut si fœmina vehementer agitata primo conatu videatur, atque difficultas aliqua propter os uteri perverse situm †, vel os sacrum prominens in membranis attin-

---

* Vide BURNS' "Midwifery," p. 648.

† Id quod ægre nostræ *Danes* occurrit, quodque non sæpius memorari demiror.

gendis, obveniat, tunc diem unam alteramve operationem differre prudentis sit.

5°, Juniorem medicum consilium alius medici cui experientia fuit multa de rebus obstetriciis, petere omnino oportet, nec non examinatione facta quam clarissime evicisse quod mensura pelvis adeo angusta sit *, ut hæc operatio evaserit necessaria.

Postremo, Medici est, nutricem probe lactantem præsto habere, ut infans, si modo vivus in lucem prodierit, conservetur, cujus quidem necessario tenera conditio omnem curam atque attentionem quæ dari possunt, enixe postulat.

* De hac re vide MERRIMAN, "Lond.Med. Chirurg. Trans." vol. iii. BARLOW, "Med. Facts and Observations," vols. vii. and viii. et JAS. BARLOW, "Lond. M. & P. Journal," vol. v.

FINIS.